



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 250. Invalida est confessio facta Sacerdoti hæretico, schismatico,
notoriè excommunicato, suspenso, irregulari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

CAPUT CCL.

Invalida est confessio facta Sacerdoti heretico, schismatico, notorie excommunicato, suspensio, irregulari.

2759 **R**atio est, quia talis Sacerdos jurisdictionem non habet, nec clavium usum; utpote quem ipsis Ecclesia subtrahit. Ita S. Thomas q. 19. Supplem. a. 6. Unde qui à talibus Sacramenta petunt, lethaliter peccant, ut constat ex dictis l. 1. Si tamen excommunicatio sit occulta, nec nota poenitenti, validum est Sacramentum. Quia jurisdictionis usum in taliter excommunicato tolerat Ecclesia; juxta extrav. *ad evitanda scandala*. Si etiam poenitens sit in articulo mortis constitutus, plerique cum Navarro censent absolvi posse ab excommunicato denunciato. Sed S. Congregatio apud Fagnanum ad cap. *non est vobis* de sponsal. & matrim. declaravit oppositum. Et cum S. Congregatione Fagnanus ibidem oppositum multipliciter ostendit. Pro quo stant etiam S. Thomas, S. Antoninus, noster Bachonius, & Veteres passim.

CAPUT CCLI.

Valde periculosum est, juxta doctrinam Sanctorum, confessionibus audiendis se ingerere, absque signis vocationis divinae.

2760 **S**inem tanta sint investiva SS. Patrum in eos qui Ecclesiasticos Ordines absque divina vocatione assumunt; longè major est ratio invenendi in eos qui ad officium Confessarii absque divina se vocatione ingerunt: cum salus illorum longè magis periclitetur, quàm illorum, necessarianaque esse vocationem Dei ad suscipiendum istud officium, gravissimæ rationes suadeant.

2761 **P**rimò, quia ars artium est regimen animarum, cujus proinde honorem quisquam sibi sumere non debet, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Cum enim sit ars difficillima, periculosissimaque, ejus sibi honorem sumere, tanta presumptio est, ut Mellissius Doctor ferm. 10. in Cant. exclamet: *ad regimen animarum sese ingerere, quanta impudentia est!*

2762 **S**ecundò, quia exactam à Confessario rationem exigit Deus de omnibus animabus, quarum audierit confessiones, deque omnibus, & singulis earum confessionibus auditis, absolutionibus impartitis, profectò conscientium neglecto, emendatione efficaciter non procurata, convenienti satisfactione non imposita, salutaribus remediis non applicatis, pulvillis positus sub omni cubito manns, &c.

2763 **T**ertio, quia pro isto ministerio malè administrato plurimi (aliàs vitæ sanctioris, austeriorisque) peccatorum alienorum participes effecti damnantur, qui aliàs salutem æternam consequerentur, juxta illud: *si cæcus cæco ducatur præset, ambo in foveam cadunt.*

2764 **Q**uartò, vel unius animæ cura Cardinali Berullo visa est magis ardua, quàm cura regni amplissimi. In animarumque directione, vel nimia remissione, vel districtiori, quàm par est, severitate non labi, tantum opus, tantus labor est, ut pauciores sint, quàm dici queat, tantæ provincie pares; nec sine assensu sibi divina sapientia lumine potest quis jura Dei sic tueri, ut hominum infirmitatem non opprimat; nec sic hominum imbecillitati confidere, ut in jura Dei non peccet.

2765 **N**eque indoctis dumtaxat id maximè arduum est, sed & doctis; utpote quos nisi Deus specialiter illustrat, & induat virtute ex alto, facile est, sive

ex pusillanimitate, sive ex culpabili defectu celestis prudentia, sive ex defectu luminis, sive ex defectu fortitudinis plurima omittere, quæ si omiffa non fuissent, damnati non fuissent, qui ipsis confessi sunt.

Quintò, quia occasione hujus ministerii, auditionisque confessionum, præsertim alterius scdus, frequentes occurrunt tentationes & pericula non parva, dum istius scdus deteguntur miseria, magnaque ad peccatum carnis pronitas, quam diabolus repræsentare non cessat, ut ad peccatum istud alliciat. Quæ profectò tentationes, & pericula superari nequeunt absque speciali Dei gratia: de qua fundatè præsumere non potest, qui istius ministerii honorem sibi assumit, non vocatus à Deo tamquam Aaron.

Sextò, quia Confessarii officium est corda fidelium à vitii retrahere, ad Deique & justitiæ amorem excitare; ad quod consequendum, necesse est, ut voci ejus Deus det vocem virtutis, & per gratiam suam operetur in cordibus, quod ipse hortando suggerit auribus. Quas gratias non meretur, qui absque signo divinæ vocationis istum ministerio se ingerere præsumit.

CAPUT CCLII.

Varia in Confessario dotes, seu qualitates requiruntur, ad istud ministerium rite obeundum.

EAs recenset S. Carolus in Concilio suo Mediolanensi l. p. 2. tit. de pertinentib. ad Sacram. Poenitentia: *in probandis Confessoribus hanc rationem habeant Episcopi, ut pii, bene morati, docti, prudentes, patientes, de animarum salute solliciti, & fideles custodes sint eorum quæ in confessione dicuntur.* Quibus fortitudo & benignitas addi potest. Oportet enim Confessarium fortiter & suaviter in ministerio suo agere. Omnes istas qualitates complectuntur duo versiculi sequentes.

Sit probus & fortis, Confessor, sique peritus, Discretus, patiens, mitis, pius, atque fidelis.

Itaque necessaria Confessario imprimis est moralis probitas. Nimirum, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet, & grex, qui Pastoris vocem moralesque sequitur, per exempla melius, quàm per verba gradiatur. . . . Illa enim vox libentis auditorum cor penetrat, quàm dicentis vita commendat. S. Gregorius Pastoral. p. 2. c. 3. Enimvero ad virtutes in aliis promovendas multùm juvat illud in se primùm ostendere, quod in aliis positum desiderat (pius enim movent exempla, quàm verba) nec alios valet edocere virtutem, qui non habet.

Deinde Confessarius magnà debet prædius esse patientià, ut tam poenitentium crimina, quàm libet enormia, quàm eorum rusticitatem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, aliosque defectus patienter ferat, juvet, poenitenteseque, licet rusticos, ignoantes, stupidos, & valde defectuosos, peramanter suscipiat, exemplo patris, filium prodigum, licet squalidum, foetentem, lacerum, dissolutum cum meretricibus patrimonii eorum, paterno affectu complectentis, & super eum flentis. Exemplo etiam Salvatoris, qui discipulos, tametì rusticiores, patienter sustinuit, & compassus fuit peccatoribus. *Quomodo enim se sibi cur audiam præbet (inquit Ambrosius l. 1. de poenit. c. 1.) qui contempnit se, non compassioni, Medico suo patet esse futurum? Ideò Dominus Jesus compassus nobis est, ut ad se vocaret, non deterreret. Misit venit, venit humilis. Denique ait: venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Respicit ergo Dominus Jesus, non excludit, neque abiecit. Meritoque tales discipulos elegit, qui dominicæ voluntatis interpretes, plebem Dei colligerent, non repudiarent.* *Unde*